



exprimit, Quinctiliano Ciceronis demum tempore subiecta fuisse videatur e). Quod autem ad ipsam et propriam urbanitatis vim adinet, Fabius f) postea quam Domitii Marfi, qui de Urbanitate librum temporis iniuria amissum conscripserat, aliorumque plurium sententias adtulerat, eam ita explicat: " Meo quidem iudicio, inquit, illa est *urbanitas*, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu neque verbis, neque ore gestuue possit deprehendi: vt non tam sit *in singulis dictis*, quam *in toto colore dicendi*: qualis apud Graecos atticissimus ille redolens Athenarum proprium saporem,, — — Atque hac a Quinctiliano, erudite atque subtiliter disputata, quamquam praecipue quidem ad oratoris virtutes officiaque et vitae elegantiam pertinent, ad rem tamen nostram, quae in explicanda Horatii urbanitate versatur, multum facere mihi videntur. Iuuabit praeter ea duo ex Epistolis Ciceronianis excitare loca, quae in significatione *urbanitatis* inuestiganda, qualem in Horatio nostro explicabimus, classica censentur. Prior locus, in quo magna est vis ad sententiam nostram firmandam, est pars Epistolae VII. Libr. III. ad diuersos: " Quaeso, etiamne tu has ineptias, homo, mea sententia, summa prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo *urbanitate*, quae virtus, vt Stoici rectissime putant, vllam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus quam ornamenta virtutis existimas?,, Ex quibus Tullii verbis in orationis serie paullo adcuratius consideratis patet, *urbanitatem* Ciceroni hic esse nihil aliud, quam politissimam consuetudinis morumque elegantiam, quam patrio sermone dicimus: *Feine Lebensart, Artigkeit im Umgange*. Alter locus ad sententiae

e) Institt. Or. L. II. p. 51. ed. Harles V.C. vid, quoque cl. Schirach ad Orator. Cic. p. 91. et Dissertat. Waltheri p. 12. Urbanus minus vsitata significatione occurrit apud Plin, L. II. Epist.

17. vbi denotat eum, qui vitam urbanam nimis amat, auersus a rure. Vid. Corte ad h. l.

f) Institt. Orat. lib. VI. Cap. 3. p. 446. ed. mem.